

A L I V D.

Anno Domini 1563. circa vltimos dies mensis Iunij, Mercurius occidentalis est, cū vesperi Solem sequatur, hoc est, dum post occasum Solis supra terrā versetur, Et quidē die 13. Iunij, statim post horas à meridie elapsas 20. minut: 41. occidentalis esse cæpit, à tempore videlicet coniunctionis suæ cum Sole. Permanebit autem in illa occidentalitate vsq; ad diem 16. Augusti, horam pomeridianam 1. min: 55. vbi postea Orientalis fieri incipiet, propter coniunctionem suam cum Sole, postquam Solem manè antegressurus est.

DE COMBVSTIONE PLANETARVM,
& reliquis quæ ei agnata sunt.

C A P V T X V.

Cum aliquis Planetarum, à Sole infra minut: 16. distiterit, ante vel post, vnitus Soli esse dicitur, hoc est in corde Solis versari. Et tunc maximam potentiam ac virtutem habet. Deinde cum aliquis Planetarum à Sole distiterit plus min: 16. minus verò medietate sui orbis, aut exactè, combustus esse dicitur. Et tunc vires eius multum debilitantur. Postremò cū aliquis Planetarum à Sole distiterit, plus medietate sui orbis, minus tamen grad: 15. vel exactè, sub radijs solaribus delitescere dicitur: Hæc quoniam intellectu facilia sunt, exemplis demonstrare nolui, infra tamen aliquoties huius materiæ crebrior repetitio fiet.

DE ORTV, ET OCCASV SOLIS,
item quantitate diei ac noctis, ad diuersas

ciuitates constituendis.

C A P V T X V I.

In Ephemeridibus nostris, Ortus et occasus Solis ad singulos mensium dies ponitur, item quantitas diei ac noctis, Quæ ciuitati Augustæ Vindelicorum, vel etiam alteri, sub simili altitudine poli iacenti, applicantur. Vt autem ea alijs locis quoq; inseruiant, breuem, & compendiosam rationem hic demonstrare constitui. Principio igitur cū vero loco Solis, eius diei, quo Ortus & occasus Solis, item quantitas noctis ac diei in Ephemeridibus assignatur, tabulam reducendi ortum & occasum Solis etc. consulito, ac signum loci Solis superius, vel inferius quærito. Quod si id superius inueneris, gradus eius in linea collateralis sinistra per descensum sumito. Si inferius, in linea collateralis dextra per ascensum. E quorum regione sub columna altitudinis Poli propositæ, tempus duplex deprehendes, Minus quidem ad Ortum et occasum Solis referendum est, Maius verò ad quantitatem diei ac noctis, ut tituli id discernunt. Hoc autem totum, quodlibet suo simili in Ephemeridibus annotato, Augustæq; Vindelicorum inseruienti addes, aut ab eodem subtrahes, pro qualitate literæ A vel S ortui et occasu Solis, item quantitati diei ac noctis annexæ, iuxta signum competens. Cum porro altitudini poli propositæ, minuta quæpiam accesserint, & inter angulum communem & collateralem differentia fuerit, memineris partem proportionalem de ea accipiendam esse. Id quod diuersis in locis satis perspicuè ac copiosè docuimus, Potissimum verò, in præscripta nostra directionum methodo, quam ante quinquennium vnà cum tabulis directionum Ioannis Regiomantani in publicum edidimus: idq; sumptibus ac impensis Generosorum & Magnificorum virorum D. Georgij, & Huldrici, Fuggerorum, fratrum germanorum, Kirchbergæ, et VVeissenhornæ Dominorum etc. Qui communi studiorum vtilitati optimè consultum cupiunt, & mihi sua munificentia autores fuerunt, ut in Mathematicis feliciter progressus sim, multaq; noua, ac compendiosa in hoc artis genere excogitauerim. Quæ singula in Bibliotheca eorum extant. Vnde non necessarium esse duxi, altius illa extollere. Sed potius aliorum ea de re iudicium esto. Nunc ad exempla huius doctrinæ venio.

c 2 Exemplum,